DE

Q. HORATIO FLACCO,

HOMINE AC POETA,

COMMENTATIO.

SCRIPSIT

ET

CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

PRIDIE KALENDAS JUNIAS, HORA LOCOQUE SOLITO,

PUBLICE DEFENDERE CONABITUR

ALBERTUS T. LYSANDER, PH. M.

PARS SECUNDA.

RESPONDENTIS MUNERE FUNGETUR

A. MAGNUS BLIDBERG,
GOTHOBURGENSIS.

LONDINII GOTHORUM,
TYPIS BERLINGIANIS,
MDCCCXLVIII.

De Q. Horatio Flacco poeta.

Venimus nunc ad poesin Venusinam, qua nihil in quaestionibus Horatianis magis §. XIIII.
cognitu ac memoratu dignum videtur. Cujus autem rei mentionem intermissam a scriptoribus, alias res agentibus, video. Juvat scilicet in fuga Philippensi vel in Horatiana philosophia haerere. At tamen Horatius neque laudem herois nec sapientis umquam est aucupatus. In id solum studuit, ut digito praetereuntium monstraretur *fidicen lyrae Romanae* (Carm. iv, 3, 22—23).

Fas est primum attingere satiram, in quo scribendi genere cernimus illum campum, qui non modo *Graecis intactus* (Sat. i, 10, 66) et Romanis ad laudem apertus, sed, quod etiam est gravius, solus erat, in quo posset ingenium Romanum exsultare. Recte igitur Quintilianus (Inst. Orat. x, 1, 93): Satira quidem tota nostra est. — Debuit vero Roma hanc gloriam ingenio singulari, quod aetas Augusta protulit ac fovit. Itaque ab uno Horatio non modo initia poesis satiricae, sed etiam apex hujus artis et quasi fastigium sunt repetenda. Quid, quod prima satirae vestigia in jocis militaribus et versibus Fescenninis, in exodiis denique et fabulis Atellanis invenimus? Haecne igitur jaculatio verborum videtur appellanda esse poesis? Ita enim et versibus horridis et scurrili dicacitate haec principia abundant, ut facile cernas, ejusmodi res potius in moribus plebeculae quam populi Romani positas fuisse:

—— his nam plebecula plaudit.
(Epist. ii, 1, 186.)

Neque id operum satiricorum genus, quod Ennius condidit et cui postea Varroniano nomen fuit, rite poesis satirica est appellandum. Maximam enim partem oratione continebatur soluta, in qua versus sesquipedales nonnumquam intexti erant, ita ut non propria forma poesis inde exsisteret ([29]). Absolutam vero carminis satirici formam primus confecit C. Lucilius. Unde eum Horatius *inventorem* satirae

---

([29]) Illam orationis rerumque varietatem satis quidem indicat satirae (l. saturae) nomen, ductum a satura lance, quam Veteres appellabant cibi genus ex variis rebus conditum. Sic etiam vocabulum Gallicum *farce* (Ital. *farsa*) a *farciendo* appellatum esse constat. Est enim, ut antiqua illa satira, nihil aliud quam scribendi genus multis metris multisque rebus confertum, ut quoddam carminum rerumque quasi farcimen. Qua de re scripsit *J. G. Ekius,* V. Cl., in particula ephemeridumLundensium, quae inscribitur: Horatius et Satira Romana. Vid. Studier, Kritiker och Notiser. Literär Tidning. 1845. pagg. 121—125 et 132—136.

(Sat. i, 10, 48) et *auctorem* (ibid. 66) nominavit (30). Quin etiam Plinius Major affirmat (in praef. libri i. Nat. Hist.): Lucilius primus condidit stili nasum. Enim vero pro incondito Saturnio versu hexametrum in satiras induxit. Itaque Noster:

———— **Est Lucilius ausus**
Primus in hunc operis componere carmina morem.
(Sat. ii, 1, 62—63).

Neque tamen ille, ut Horatius, statuit, indolem satirae non nisi versibus hexametris esse exprimendam. Quam ob rem versibus iambicis et trochaicis etiam usus est. Praeterea aliae res impediebant, quo minus Lucilius fieret poeta. Namque vivebat in civitate libera et optime morata, qua nihil minus idoneum ad poetas satiricos creandos ac fingendos. Satiram igitur adhibuit ad singula vitia castiganda. Quo facto germana satirae indoles plane deleta est atque exstincta. Contra ea Horatius illud poesis genus condidit, quod aeque singula atque universa salsissimis perstringit facetiis. Neque castigando increpandoque satira vera studet id efficere, ut mores fiant meliores; sed in vita hominum carpenda sibi ipsa mirifice placet.

§. XIV. Quam poesis rationem aetas Horatiana non modo excitavit, sed etiam aluit maxime et confirmavit, quippe quae, libertate honestateque deperditis, hunc tamen aditum sibi vidit munitum ad animum ab omnibus vinculis liberandum. Quod si interdum, ut trito utar proverbio, indignatio facit versus, poetae tamen clari ex mera indignatione numquam exstiterunt. Male enim cum poesi agitur, si carmen ex aegritudine animi sit natum. Nam fieri nullo modo potest, ut animus graviter commotus illum nitorem comparet et elegantiam, immo sobrietatem et simplicitatem, quae apud maximum quemque poetam tam clara fulgeant. Poeticum non modo splendorem et colorem, sed formam etiam et speciem necesse est obscurari ac deficere. Forma ipsa poesis, si non ad solutam orationem abit, huic tamen fit simillima; idque satirae proprium esse quis est, qui ignoret? Hac quidem motus sententia Horatius negat, se, dum satiras scribit, poetarum in numero esse. Audi eum libere profitentem:

---

(30) Non est dubium, quin Horatius hoc loco verba faciat de Lucilio. Ita quidem *C. Hermannus* (Progr. Marburg. 1841) interpretatus est Cujus vero sententiam impugnat *F. D. Gerlachius* (Hist. Studien. ii, 40. Basel, 1847), qui cum plerisque antiquioribus statuit, Horatium de Ennio esse loquutum. Mihi tamen Hermanni sententia magis probatur.

Primum ego me illorum, dederim quibus esse poetis,
Excerpam numero: neque enim concludere versum
Dixeris esse satis; neque si quis scribat uti nos
Sermoni propiora, putes hunc esse poetam.

(Sat. i, 4, 39—42.)

Quae verba mihi visa sunt ad omnes scriptores satiricos praeter ipsum Horatium quadrare. Neque dubito illi sermonum generi, quod arte Horatiana excultum est, nomen et satirae et poesis tribuere. Quod quo sit exemplis manifestius, Horatium et Juvenalem, age, inter se potissimum conferamus; quorum hic, ut vulgi fert opinio, Nostrum arte satirica aequaverit ([31]). Hic quam sibi finxit vitiorum opinionem ubique prae se fert. Ab indignatione et aegritudine animi plane profectus lacrimas semper fundit et clamores et nil profuturas querelas; sperat tamen fore, ut cives castigatione et animadversione, si diis placet, fiant meliores. Quae copia verborum! Quanta hominis eruditio!

Quam lepide λέξεις compostae, ut tesserulae omnes
Endo pavimento atque emblemate vermiculato!

(*Lucilius* in Fragm. inc.)

Quo quis est doctior, eo plura et exquisitiora de vitiis et virtutibus potest commentari; at neminem umquam sententiarum gravitate poetam fieri, quis non videt ([32])? Horatium non ita videbis hallucinantem. Ille enim, ut supra probavimus, neque virtuti honestatique nec vitiis et voluptati plane adhaerebat. In omni enim vita auream consequutus est mediocritatem. Quo factum est, ut moribus suis et alienis illudens summum poesis culmen teneat. Dum alios castigat, ipse nihilo minus in rebus iisdem vel nonnullis aliis graviter labitur ([33]). Neque sibimet ipsi parcit ([34]). Dolet

---

([31]) Ita *Malmstroemius,* V. cl.: Satirae palma Juvenali a plerisque delata fuit. — Vid. diss. *de origine et natura satirae.* Lundae, 1827. pag. 33.

([32]) Non magis severe quam vere his verbis de Juvenale judicavit *Rugeus,* criticus nostrae aetatis clarissimus: Juvenal ist ein Philister, kein Poet, ein Rethor, kein Humorist. L. l. iii, 63. Idem affirmat, scriptorum satiricorum solum Horatium esse poetam.

([33]) E contrario *Malmstroemius* (l. l. pag. 30.) admonet, ne satirarum scriptores vitiis ipsi infecti sint, quae apud alios notent.

([34]) Exempla sunt Epist. i, 2, versus 27—31:

Nos numerus sumus et fruges consumere nati,
Sponsi Penelopae, nebulones Alcinoique
In cute curanda plus aequo operatà juventus,
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies et
Ad strepitum citharae cessatum ducere curam.

Alia innumerabilia.

occasum rei publicae, dolet depravationem morum et consuetudinum, dolet denique se a vitiis superari; sed, instar omnium hominum sui saeculi, non vult liber et bene moratus vir fieri. Quam igitur in prima satira effatus est sententiam, ea mihi latissime patere videtur:

> **Vos hinc mutatis discedite partibus. Eia!**
> **Quid statis? Nolint. Atqui licet esse beatis.**
>
> **(Sat. i, 1, 18—19.)**

Neque aliter illa:

> **Quid facias illi? Jubeas miserum esse libenter.**
>
> **Ibid. 63. (35).**

Tantummodo libertate jocandi utitur (36). Quam ob rem non est, quod miremur, Horatium, quamvis maximus sit scriptorum satiricorum, dulciorem esse quam acerbiorem. Numquam in inutilem atque odiosam morositatem incidit. Dulcem et facetum, festivique sermonis, atque in omni oratione simulatorem agnoscimus. In universa civitatis peste deridenda versatur. Nihil in medium non confert. Meo igitur jure affirmo, id esse Horatii proprium, quod sibi Juvenalis assumsit:

> **Quicquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,**
> **Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.**
>
> **(*Juvenalis* Sat. i, 85—86).**

Estne igitur ratio satirae Horatianae poetica? Dum Juvenalis ac Persii *κακοζηλίαν* fastidio justissimo spernimus, nonne divinum Sermonum scriptorem rite habemus poetarum vel optimum?

Quid? Si divina suae poesis ratio ipsum aliquando effugerit poetam, justane est causa, cur eum minus clarum habeamus? Nonne poetarum est praecipere aliud,

---

(35) Docuit nuperrime *Ekius* vocabula *esse* ac *libenter* non posse non conjungi. Vid. Commentarr. in Satiras Q. Horatii Flacci. Lundae, 1847. pag. 14—20.

(36) Non aliter judicavit *Rugeus* l.l. Vol. i. pag. 64—65: Es ist bekannt, dass die Sklaven, die Gedrückten, vorzugsweise witzig, satirisch, sogar humoristisch sind; aber der humoristische Sklave muss, um Humor haben zu können, mit der Sklaverei zufrieden sein, bei allerdem einigermassen in der Wolle sitzen und definitiv ein Sklave bleiben wollen, obgleich er es fühlt, dass er einer ist. So hilft sich der Sklave in der Komödie, so die Berliner, so die Wiener, eben so Horaz mit — Witzen. Fehlt ihm der Adel der Freiheit, so wird er läppisch; ist er, um läppisch zu sein, ein zu edler Sklave, so wird er humoristisch. — A Rugeo est *F. T. Vischerus,* subtilissimus pulchri investigator, qui ingenia talium hominum, qualis fuerit Horatius, his verbis adumbravit: Starke, jugendliche Naturen, die freilich zu dem Bewusstsein gelangen, dass sie mit den Wölfen heulen müssen, aber die Fülle der unüberwindlichen Gesundheit einer ungebrochenen Kraft schäumt über das Gefühl, wie krank die Welt ist, brausend in Jugendscherz hin. Vid. Vischer's Aesthetik. Leipzig. 1846—1847. Vol. i. Pag. 461—462.

dum aliud divinitus impulsi sectantur? Idcirco Horatium videmus docentem, omne poetae sanioris officium his duobus contineri, ut aut prosit aut delectet. Quam ob rem de satira sua scribit:

—————— **Ridentem dicere verum**
Quid vetat? ut pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima.

(Sat. i, 1, 24—26.)

Qui versus non multum distant a sententiis, jam pridem ejectis, quas poetices magistri saeculo XVIII venditare solebant. Sed tamen in illis Noster se vocavit doctorem *blandum.* Neque immerito. Nam quae doctor castigavit vitia, iisdem ipse quodam modo indulsit ac blanditus est. Vides nunc, quam perverse agant, qui sermones Horatianos ad genus poesis, quod vocatur *διδακτικόν,* ascribere velint ([37]). Contra ea assentimur Hegelio, qui satiram tractavit in eo capite operum, quod inscribitur: Die Auflösung der klassischen Kunstform ([38]).

Ad virtutem summam poesis Horatianae accedit etiam scenica quaedam vis earum satirarum, quae diverbiis continentur ([39]). Quae quidem carmina amoebaea mihi videntur orationis et vigore et ubertate et venustate omnes omnium scriptorum Romanorum fabulas longe superare.

Sed ad formam carminis satirici redeamus, quam Noster in versibus hexametris esse positam rectissime judicavit. Neque fortuito hoc unum metrum, idque ex heroica poesi petitum, satirae genus sibi ascivit. Carmina enim heroica et satirica adversis quasi frontibus discedunt. Satira in pessimis quibusque rebus versatur: carmen epicum e contrario in optimis, in quas satira, pedibus incedens heroicis, externa ipsa forma illudit. Quae cum ita sint, quis non videt, satiram, quamvis iisdem versibus quibus carmen epicum utatur, iisdem tamen legibus et metricis quasi vinculis non esse coercendam? Quo fit, ut eam, quam supra memoravimus, orationis solutae satiraeque affinitatem in externa hujus forma etiam cerni liceat. Quam ob rem §. XV.

([37]) Vid. *Ekium* hac de re disputantem in diss. quam pag. 27. memoravimus.

([38]) Vid. *Hegelii* Aesthet. Vol. ii. Cap. 3.

([39]) Dramaticorum instar scriptorum Horatius saepissime in scriptis suis longam vocalem elidit, ut in Epist. i, 7, 24:

Dignum praestabo m(ē) etiam pro laude merentis.

Id quod vix in Virgilio reperire queas.

neque ipsis Horatii temporibus nec postea defuere, qui contenderent, sermones Horatianos nervis carere (Sat. ii, 1, 2). Id quod negligentiae Horatii minime esse tribuendum censeo. Nam leges ipse condidit certas ac definitas, ad quas oratio satirica esset conformanda (Sat. i, 4, 40—62). Statuit igitur, formam satirae debere ad sermonem quotidianum quam proxime accedere. Nulla alia re, nisi *pede certo* (vs. 47) satirae licet a sermone differre. Tolle numeros versuum: poema ipsum sustuleris. Reliquum erit nihil aliud quam *merus sermo* (vs. 48). Ne membra quidem poetae, quamvis disjecti, invenies (vs. 62); quia neque verbis nec rebus inest acer quidam spiritus ac vis (vs. 46—47). Neque igitur Horatius in oratione satirae conformanda quicquam agebat diligentius, quam ut vim et incitationem verborum numerorumque attenuaret. Quo autem modo propositum suum sit assequutus, doctissime enarravit Kirchnerus, V. Cl., quem hac in re potissimum ducem sequamur ([40]). Primum igitur oratio Horatii, quo prosae eloquentiae similior evadat, longiores saepissime habet circuitus et quasi orbes verborum circumscribit, quorum ne unus quidem versus, nisi cum ceteris conjunctus, intelligi potest. Cujus generis exempla sunt ii ipsi, quos nuper adhibuimus, versus Horatiani:

——————— His, ego quae nunc,
Olim quae scripsit Lucilius, eripias si
Tempora certa modosque et, quod prius ordine verbum est,
Posterius facias, praeponens ultima primis,
Non, ut si solvas "Postquam Discordia tetra
Belli ferratos postes portasque refregit,"
Invenias etiam disjecti membra poetae.

(Sat. i, 4, 56—62).

Tum pari ratione in verba monosyllaba versus Horatiani saepissime exeunt. Cujus rei exemplum, ut alia sexcenta taceam, ex hoc potissimum loco petamus:

——————— Unde venis et
Quo tendis? ———————

(Sat. i, 9, 62—63.)

Deinde verba quaedam ita sunt rescissa, ut altera pars priori versui, altera sequenti ascribatur, ut in Sat. i, 2, 62—63.

——————— ——————— Quid inter-
Est in matrona, ancilla peccesne togata?

([40]) Vid. Des Q. Horatius Flaccus Satiren. Kritisch berichtigt etc. Vol. i, pag. xxxiii sqq.

Qua dissecandi ratione metra Nostri ne Sapphica quidem esse immunia satis constat. Habet enim Carm. i, 2, 19—20:

——————— U-
Xorius amnis.

Conferantur Carm. i, 25, 11—12. ii, 16, 7—8.

Praeterea quam saepissime fieri solet, ut littera M elidatur et vocalis a vocali sequenti absorbeatur. Exempla praesto sunt.

Dum ex parvo nobis tantumdem haurire relinquas
(Sat. i, 1, 52.)
Nil fuerit mi, inquit, cum uxoribus unquam alienis.
(Sat. i, 2, 57.)
——————— Quoad vixit credidit ingens-
(Sat. ii, 3, 91.)
Vindemiator et invictus, cui saepe viator —
(Sat. i, 7, 30.)

Quae tamen ultima figura (Graeci *συνίζησιν* vocant), qua vocalis I in consonam mutatur, etiam apud *Virgilium* (v. c. abiete, ariete, Laviniaque) est frequentissima.

Litterae denique et vocales et consonantes vario modo sublatae sunt, ut in verbis *caldeos* (Sat. i, 3, 53), *soldo* (ibid. 2, 113), *surpite* (Sat. ii, 3, 283), *evasti* (ibid. 7, 68). Quae quidem omnia, multaque praeter ea effecerunt, ut satira Horatiana sermoni quotidiano multo similior fieret quam poesi.

Ad satiras proxime accedunt epistolae. In quibus Horatius non minus voluit vi- §. XVI.
tae suae philosophiam proponere quam aliorum in ratione vivendi errores coarguere. Ita satira epistolaque Horatiana iisdem fere in rebus versantur, ut ad eandem scribendi regulam videantur esse conformatae. Quod si quis utramque diligentius examinaverit, sine ullo negotio videbit, orationem epistolarum plerisque in locis magis esse numerosam et aptam. Id quod nullo modo potest effugere eos, qui vel Epist. ii, 1. vel epistolam ad Pisones animo lustraverint. Nihilo minus in epistolis etiam quotidianum illum sermonem, numeris tantum additis, agnoscimus. Neque igitur auctor ipse epistolas immerito compellat *sermones per humum serpentes* (Epist. ii, 1, 250—251), nec mihi ii videntur incommode agere, qui uno Sermonum nomine satiras epistolasque complectantur.

Epodos autem, qui et satirae et carminis quodam modo est particeps, argu- §. XVII.
mento satirico adjungit atque annectit numeros lyricos. Metro utitur iambico, quo

nihil aptius ad satiram et quasi natum magis, si quidem credendum sit Horatio, qui narrat (Epist. ad Pison. 79), iambum ab Archilochi rabie esse partum. Poetica tamen mens spirat in epodis, quin etiam oratio citatius fertur et clarissimis verborum luminibus utitur. At satirae non ita, in quibus, nisi quod versus sunt, nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis. Quam ob rem versus hexametros, qui omnibus numeris sint perfecti, in epodis quam in satiris invenies frequentiores. Commune quidem utriusque generis est satiricus quidam fervor, ab indignatione profectus. Sed inter epodum et satiram hoc maxime interest, quod haec ad omnes omnium hominum res carpendas sese applicat. Ille autem tantum exardescit iracundia, quantum rem aliquam vel personam verbis lacessendam sibi proposuit. Huic indignatio concitatioque animi penitus jam insedit atque inveteravit. Ille autem non movetur nisi sensibus casu et fortuito oblatis, quibus quaedam vis inest lyrica.

At dicat quis fortasse, multos Epodorum ne minime quidem satiram redolere. Ita dubitantibus obviam euntes, hunc argumentorum indicem conscripsimus.

Epodon igitur carmen I inimice in eos insectatur, qui, vel mollitia vel bonorum perdendorum timore ducti, militiam ac belli pericula detrectent. — Aculei carminis II, ut constat, latent in quatuor tantummodo versibus (Epod. 2, 67—70). Hic vero non latent, immo toto orationis colore numerorumque forma distinguuntur.

In carmine II increpat hominem, qui meliora videns probansque deteriora tamen sequatur.

De carminibus autem III—VIII nemo dubitat, quin satirica sint. Quod quidem argumentis, a librariis additis, cerni potest. Carmini igitur III in Codd. MSS. adduntur vocabula: Exsecratur allium. Carmen VII vulgo inscribitur: Detestatio bellorum civilium. Alia aliter.

Carmen IX scriptum est contra mores effeminatos, magis barbaris hominibus quam Romanis dignos. Spirat in hocce carmine mens plane Romana, ardentissimo patriae amore inflammata.

De carmine X rectissime scriptum est in codice quodam antiquissimo: Invisum sibi Maevium devovet, ut horrendis prematur tempestatibus.

In carmine XI poeta queritur, candidum viri pauperis ingenium contra lucrum ac divitias in amoribus nihil valere (vs. 11—12).

Carmen XII Horatius, ut notissimum est, in anum libidinosam cecinit.

Carmine XIII exprobrat poeta nimium amicorum ob hibernum tempus dolorem eosque hortatur, ut hilariter secum vivant.

In carmine XIV iambis festivissimis repellit Maecenatem, qui sua auctoritate Horatium commovere conatus est, ut scriberet iambos.

Invehitur denique carmine XV in amicam perfidam, carmine XVI in bella civilia, et carmine XVII in Canidiam veneficam.

Serpit itaque per omnes epodos satiricus quidam succus et sanguis; eamque ob rem Oswaldius non sine causa epodum nominavit "Gegenode, d. h. Hieb- und Stich-Ode."

Quod si Horatius in satiris epistolisque versus aliquanto incultiores condidit, in carminibus tamen numeris et pedum mensurae ita inserviit, ut nihil in iis deprehendi possit, quod non maxime exquisitum sit et studiosissimum. Quibus adductus rationibus Ovidius eum appellavit *numerosum* (Tist. iv, 10, 49). Sed priusquam longius progrediamur, inveteratis aliquot erroribus obviam est eundum. Multi igitur Epist. ii, 2, 50—52. temere percurrentes opinati sunt Horatium omne poesis studium ad quaestum retulisse. Quod, nisi quis hunc locum falso legerit, ex verbis Horatianis non poterit conficere. Etenim verba haecce: §. XVIII.

—————— **paupertas impulit audax**
Ut versus facerem ——————

cum narratione de pugna Philippensi quam arctissime cohaerent. *Decisis* igitur *pennis,* studioque sublato viribus pugnandi, una demum, quamvis exigua, libertate scribendi satiras versibusque pugnandi Horatius est gavisus. *Inops* vero *fundi paterni* omnia bona sua in versibus faciendis esse posita rectissime putavit.

Alius vero error in animos interpretum plerorumque invasit. Una scilicet voce clamitant Horatium Graecos imitatum esse. Quae sententia in primis *Buttmanno,* philologo ingenii acutissimi, placuit. Hinc in editionibus fere omnibus illa farrago locorum Graecorum, quos, ut perhibent, Horatius Latine expressit ([41]). Perverse. Nam poetae hodierni alios scriptores nonnumquam imitantur, dum materiam ad scribendum §. XIX.

([41]) Exstant vero hujusmodi libri, quorum jam inscriptiones lectori saniori nauseam creent, v. c. Bucoliques de Virgile. Trad. en vers avec tous les passages des Auteurs Grecs et Latins imités par Virgile et des Auteurs des diverses Nations qui ont imité Virgile, par de Lauréal. Paris, 1821.

anxie quaerunt. Id quod minime cadere potest in antiquissimos, eosdemque optimos poetas, qui nil plane nisi ex suis animis hauriebant. Itaque si vel sexcenti Graeci similes quasdam sententias protulerint earum, quas in carminibus Nostri legas; hoc tamen noli credere, poetam tam splendide a natura exornatum alienos sensus esse imitatum. Hae sane sententiae ab intimo Nostri animo impetuque lyrico natae sunt ac profectae. At vero forma orationis Horatianae ad Graeca exemplaria proxime accedit; eandemque ob causam poemata sua quam saepissime Horatius vocavit carmina vel *Lesbia* vel *Aeolia*.

§. XX. Superest autem alia res, ad quam, nisi unus Eichstadius, nondum satis animum attenderunt, qui ad carmina Horatii explicanda aggressi sunt. Etenim satirico quodam colore carmina pleraque Horatius imbuit. Hinc multi in carminibus loci quotidiani illius sermonis, quo usus est in satiris epistolisque, simillimi. Hinc etiam facile intelligitur, qui fiat, ut editores, dum jocosa serio interpretantur, aut poetam injuste vituperent, aut putida dicta stupide admirentur. Bene factum, quod Peerlkampius locos illos notavit. Nullum profecto expunxit versum, in quo divina mentis incitatio ardorque lyricus cerni possit, ut in totis his carminibus:

Rectius vives, Licini etc.

(Carm. ii, 10.)

et

Donec gratus eram tibi etc.

(Carm. iii, 9.)

At eos vero obelo critico confixit, qui aut nulla alia medicina, nisi spongia, aut stili satirici scientia sanari possint. Tale quoddam sanandi periculum in fine hujus dissertationis tentavimus, quo magis etiam intelligi liceat, quam saepe e poesi lyrica vis Horatii satirica emicet. Nullo igitur negotio arguere potest Horatium carmina multa recte appellasse *nugas, ludicra, carmina operosa* (Carm. iv, 2, 31—32). Nihil etiam impedit, quo minus Quintilianum audiamus, qui de lyrica Horatii poesi intolerabile, ut videtur, judicium tulit. Dixit enim (Inst. Orat. X, 1, 96). Horatium *insurgere,* sed caute addidit vocabulum *aliquando.*

Non opus erit, ut singulas versus Horatiani virtutes repetam et exemplis illustrem. Quin etiam video hoc negotium nimis ab aliis esse occupatum. Jam pridem veteres interpretes in carminibus Horatii *ἀντίθεσιν, αὔξησιν,* aliaque orationis lumina invenerunt. Recentiorum autem enarratorum nonnulli, dum nova semper student pro-

ferre, quam inscite nugati sint, dici vix potest. Habes profecto Sardos venales, alium alio nequiorem. Omnium vero nequissimus Monichius. Quod, ne iniquius tulisse videar judicium, exemplis est demonstrandum. Ubique igitur in carminibus Horatii homo ille bellissimus agnovit nescio quam rationem triplicem, qua poeta per imagines bis loquitur, semel nudam jejunamque proferens sententiam. Mirum sane poesis et solutae orationis connubium! At apud optimum quemque poetam imagines simul cum cogitatione mentis, divino correptae igne, nascuntur. Idem Monichius, lusus verborum captans, quam foedissime lapsus est. Nemini mortalium, nisi intelligentia plane destituto, probare potest, Horatium in primo omnium carminum (vers. 5 & 7) verbis *nobilis* et *mobilium* ludere ([42]). Sed istis nugis remotis, omnia quae de Nostro jam diximus, paucis verbis adumbrare conabimur.

In omni igitur vita ac moribus Horatius mihi quidem videtur et sui saeculi et perfecti Romani imaginem referre. Fuit igitur Noster magnanimus, libertatis fautor, philosophandi scientiae deditus. Nihilo minus humanis vitiis contaminatus. Vixit denique illa aetate, qua nulla aptior ad satiras scribendas. In hac arte poeta sane unicus, qui non magis aliena quam sua carpit vitia. Depinxit itaque saeculum suum nemo umquam mortalium verius. Id vero Horatii proprium, quod poesi lyricae satiricum admiscet colorem. His et talibus rationibus adducti Horatium jure optimo habemus poetam, omnium quidem festivissimum, satiricorum vero maximum. §. XXI.

([42]) **Aliter se habet illa παρονομασία Catonis, *Nobiliorem* in *Mobiliorem* mutantis. (Vid. *Ciceronis* de Orat. ii, 63, 256.) Quo dicto ambitionem levitatemque M. Fulvii Nobilioris notavit.**